



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Ficus Eremitæ, ac vuæ ab Angelo allatæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

nebat, quod nulli naturali cibo contigit; ita vinum in Nuptijs à Christo ex aqua factum, fuit præstantius quouis vino naturali. Pari pacto tradit Ferrariensis, panem in deserto, piscésque Christi potestate multiplicatos, longè fuisse gustus deliciarioris, nobiliorisque, & habuisse vim cibi pariter & potus. Quod postea sæpius contigisse, vt dulcedinem Dei gustarent homines, exemplis docebo delicatos; vt ne istam quidem habeant aduersus Deum excusationem, & quia gustum sequuntur, vel dulcedine trahantur. Hoc enim hamo vsus est etiam ille, qui dixit: *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus. Quod ideò dicit, ait Emiffenus quia amor Dei, quantolibet ardore quæsitus, etiam magis ac magis firmiter inflammât. Vnde & de seipso dicit: Qui edunt me, adhuc esuriunt, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Gustent ergo, vt videant suauitatem; edant, vt esuriant; bibant, vt sitiant fontem salientem in vitam æternam; quicumque suauitatem sequuntur.

Pfal. 33. 9.  
Serm. de  
Epiphan.

II.  
Palladius  
cap. 77. hist.  
Laufiacz.

Apud Palladium Helenopolitanum Episcopum, Posidonius Thebanus hæc ipse de se narrat: *Cum habitarem in loco Porphyrite, anno vno, toto anno, nullum hominem conueni, non audiui sermocinationem, non panem tetigi, nisi si quando paucis vterer dactylis, & sicubi herbas inuenirem agrestes. Quo quidem tempore, cum mei panes, aliquando defecissent, egressus sum e spelunca, vt venirem in orbem terræ habitabilem, & cum toto die ambulassem, vix aberam à spelunca duo millia. Cum ergo circumspexissem, video equitem militis habitum præferentem, habentem in capite galeam triariferam: & cum coniectassem, eum esse militem, profectus sum vsq; ad speluncam, & inueni canistrum vuarum, & ficuum nuper decerptarum: quod cum accepissem, lotus rediui ad speluncam, habens duobus mensibus, cibos illos ad meam refectioem. En vt etiam obsonijs suos recreat cœlestis Pater! Ficus in Paradiso, ad delicias creauerat ( quod vel è folijs ficus intelligimus, quæ primi parentes consuerunt, vt facerent sibi perizomata ) nunc è Paradiso per Angelum ficus mittit in cretum. Post diluuium, Noe cepit exercere terram, & plantauit vineam, vt vinum biberet cum iucunditate; en sine vinea vvas Angelus, non iam Christo, sed Posidonio, in deserto ministrat. Quid debuit ultra facere, etiam illecebris Deus homines allicere ad sibi seruiendum. Cur non sequerentur? vel ad pictas vvas etiam aues aduolarunt; ad veras vvas homines, satis alioquin appetentes vini, se non sinunt inuitari.*

Abbas